



**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

Rhodes, Georges de

Lvgdvni, 1671

II. De compositione mixti ex elementis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)

aëri connaturales, humor & calor: ergo ex duobus corruptis fieri potest tertium. Neque refert quod forte in ipso instanti conuersionis illæ duæ qualitates non remaneant in illo gradu, quem exigit aër; postea enim facile ipsa forma aëris introducta producet illas in tali gradu.

Prima ob-
iectio.

Obiicitur primò. Si posset ignis in se conuertere quodlibet elementum, sequeretur ignem semel accensum nunquam extingui posse, quia semper aquam vel aërem in se conuerteret, nec deficere posset illi pabulum, sicque nunquam deficeret. Terra in aquam coniecta nunquam consumeretur, alioqui lateres in fornace consumerentur. Denique patet quod aqua non conuertitur in ignem, quia lychnus in lampadibus accensus ubi est oleum cum aqua, oleo deficiente statim extinguitur.

Resp. eam esse naturam ignis, ut necessariò pascatur aliqua substantia humida pingui, non autem aquæ solum, aut solum aëre. Dico igitur ignem posse quidem in se conuertere aërem, modò habeat humidum quo pascatur; tunc enim aliquid aëris inflammat, sed non multum, quia compenfat aliunde aër, quod perdit; magis enim est restitutus quàm ignis. Terra conueriti vix potest in ignem propter densitatem. Aquam ignis inflammat si exigua sit, non autem si copiosa; idèd lucerna in lampade non potest conuertere in se aquam.

Secunda
obiectio.

Obiicitur secundò, non posse aërem in terram conueriti; fiat enim in terra exiguum foramen; certè aër non conuertitur in terram per mille sæcula; si enim terra vinci non potest ab igne, quomodo ab aëre vincetur: sed neque terra conuertitur in aquam aut aërem; nusquam enim est auditum quod flumina conuertant in se ripas; & si recondatur terra intra vas plenum aëre, certè post plura sæcula videbitur eodem in vase integra illa terre portio.

Resp. posse transmutari aërem in terram, & terram in aërem, vel aquam, modò tamen non desit debita proportio; terra enim, ut dixi, propter densitatem valde restituta est, & parum actiua; idèd difficile admodum alia in se transmutat elementa, & difficile in illa transmutatur.

Obiicitur tertio, non videri verum, quod facilius transmutentur elementa symbola, quàm dissymbole; quia non minùs facile duæ qualitates vincuntur à duobus contrariis, quàm vna ab vno: sed quando conuertitur elementum symbolum, vna solum qualitas agit; quando autem conuertitur dissymbole, agunt duæ qualitates: ergo non facilius conuertitur symbolum, quàm dissymbole. Deinde apparet guttam aquæ proiectam in fornacem conueriti facilius in ignem quàm pugillum terræ; atqui terra elementum est symbolum, aqua elementum dissymbole. Denique ea quæ minùs sunt contraria, minùs se destruunt: sed symbola minùs contraria sunt quàm dissymbole: ergo symbola minùs se destruunt quàm dissymbole.

Resp. distinguendo primam maiorem; non minùs facile duæ qualitates vincuntur à duobus contrariis, quàm vna ab vno, si eæ qualitates sint æqualiter actiue, concedo; si non sint æqualiter actiue, nego: duæ autem qualitates elementi dissymbole sunt inæqualiter actiue, ut dixi. Cæteris paribus certum est, quod ignis facilius in se conuertit terram, quàm aquam, nisi obster densitas terræ. Denique nego quod ea quæ minùs sunt contraria, minùs se destruunt, si per pauciores

A qualitates sint contraria; tunc enim facilius se destruunt.

QVÆSTIO II.

De compositione mixti ex elementis.

Dixi naturam & qualitates elementorum, ex quibus coalescit mixti corporis compositio, de qua duo restant. Primò quomodo in mixto sint elementa, quæ illud componunt. Secundò de temperamento mixti, quod exurgit ex tali compositione.

SECTIO I.

An, & quomodo elementa maneat in mixto.

Dupliciter cogitari potest, quod in mixto remaneant elementa. Primò *formaliter*, si maneat secundum materiam & formam, & qualitates restructas. Secundò *virtualiter*, si maneat secundum solam materiam, & restructas qualitates, non autem secundum formam. Manere formaliter censet Medicorum totus Senatus, quibus etiam accessere non ignobiles Philosophi, Albertus Magnus, Aureolus, Auerroës, Auicenna, Zabarella, Raconis, Dandinus; sed diuisis sententiis. Alij enim volunt formas elementorum manere integras, sed in minutissimas partes diuisas, solas autem remitti qualitates. Alij manere formas istas restructas & remissas. Alij manere illas secundum realitatem, non secundum formalitatem. Alij noua excogitant elementa diuersi nominis & diuersæ speciei. Denique alij sola ponunt in mixto elementa, propriam excludentes formam mixti.

Dico primò, esse in omnibus mixtis perfectis, siue in illis elementa maneat formaliter, siue virtualiter, propriam aliquam formam mixti distinctam à formis elementorum.

Ratio est, quia mixta differunt essentialiter inter se, lapis v.g. & canis; non enim illi minus inter se differunt quàm homo & canis: ergo est necesse ut formam diuersam habeant à formis elementorum, quæ eodem modo sunt in omnibus mixtis. Deinde vnumquodque mixtum proprietates quasdam habet, quæ à formis elementorum nequeunt derivari; sic enim constat ex variis virtutibus herbarum, lapidum, animalium: ergo mixta proprias etiam habent formas à quibus fluunt illæ proprietates. Deinde mixtum est ens per se: ergo vnam habet formam à qua recipiat unitatem: formæ verò elementorum, cum non sint subordinatæ inuicem, non se habent ut actus & potentia: ergo ex ipsis fieri non potest vnum.

Dico secundo, formas elementorum non remanere in mixtis integras, vel remissas; atque ita elementa virtualiter solum esse in mixtis secundum materiam & qualitates restructas. Ita cum Aristotele ac S. Thoma censet communis Schola tota Philosophorum.

Ratio autem primò est, quia si formæ elementorum essent omnes in mixto, vel illæ simul omnes essent in eadem parte materiæ, vel essent in diuersis, ita ut vna pars materiæ haberet formam mixti & formam ignis; altera formam mixti, & formam aquæ; & ita de cæteris: neutrum dici potest: ergo non manent formæ elementorum in mixto. Probatur minor; primò enim

Quæst. II. Sect. II. de Temperam. mixti. 369

non possunt esse simul in eadem materia formæ omnes elementorum cum forma mixti, quia exigunt contrarias dispositiones; aqua enim non est sine multo frigore, neque ignis sine multo calore, & se mutuo expellunt hæ formæ: ergo non possunt esse in eadem parte materiae.

Deinde quod hæ formæ non sint in diuersis partibus mixti, probatur; corpora homogenea partes habent eiusdem rationis cum toto, & inter se: ergo vna pars materiae non habet ignem, altera terram. Deinde singulae partes mixti sunt mixtæ: hoc autem erit falsum, quia particula in quibus non est nisi forma vnius elementi, non sunt mixtæ. Neque dici potest, singulas partes mixti esse mixtas, quia in singulis est forma mixti. Contrā enim in isto. Vna pars formæ mixti non est mixta, si vnius tantum elementi habet formam: atqui vna pars formæ mixti non habet nisi vnum elementum: ergo non est mixta. Deinde vnum elementum obrueret aliud; aquæ v.g. humiditas vicinum ignem exstingueret; caro ab igne solueretur in cineres. Denique forma illa mixti esset accidens, quia enti completo adueniret; quod est esse accidens; singula enim elementa sunt entia completa, alioqui non magis esse possent in rerum natura, quam materia sine formis: ergo forma mixti est accidens.

Quod autem aliqui volunt esse in mixto formas elementorum remissas, & refractas, est aperte falsum, quia formæ substantiales non suscipiunt magis & minus, vt probaui nuper. Et sanè deberent alioqui mutari formæ: substantiales, quoties alterantur elementa. Cum autem aqua calefacta reducat seipsam ad pristinum frigus, constat illam manere integram. Sequeretur etiam simul in eadem materia esse formas oppositas.

Obiicitur primò. Vbi sunt proprietates alicuius formæ, ibi est etiam illa forma: in mixto proprietates sunt formarum elementarium: ergo ibi sunt etiam ipsæ formæ. Deinde si non est in mixto nisi vnica simplex forma, mixtum non est substantia minus simplex, quam elementum.

Resp. primas qualitates non esse proprietates elementorum in eo gradu, in quo eas habet mixtum; atque aded negatur quod in mixto sint proprietates elementorum. Verum quidem est, quod mixtum non habet plures formas quam habeat elementum, sed homo tamen v.g. est corpus mixtum, non autem ignis, quia homo exigit temperiem quatuor primarum qualitatum relictam ex congressu elementorum: elementa verò dicuntur simplicia, quia illam non exigunt. Elementa ergo quoad qualitates sunt simpliciora mixtis, non quoad formas.

Obiicitur secundò. Omnia corpora resoluntur in elementa: ergo componuntur ex elementis; quomodo enim resolui possunt in ea quæ non continent. Antecedens patet, quia cum virtut lignum, aliæ partes abeunt in aërem, aliæ in aquam, aliæ in terram, aliæ in flammam; ignis autem non generat nisi ignem: non est igitur assignabilis causa per quam de nouo generentur tunc elementa. Experiuntur etiam Alchymistæ, quod aurum vi ignis sic dissoluitur, vt aqua inde prodeat & terra.

Resp. elementa non contineri formaliter in mixto, sed virtualiter tantum, eo quod mixtum resoluitur in quatuor elementa; si tamen vnquam verè in illa resoluitur. Causa verò per quam producantur tunc formæ elementorum, est illa ipsa quæ corrumpit mixtum.

A Obiicitur tertio. In quouis mixto prædominatur aliquod elementum, vt saepe docet Philosophus: ergo in mixto sunt elementa; quod etiam pluribus locis tradere videtur idem Philosophus.

Resp. elementum in quolibet mixto prædominari, non quod in eo sit formaliter, sed quod in eo qualitates vnius elementi sint robustiores quam qualitates aliorum. Aristotelem autem optimè interpretatur Toletus de continentia virtuali, non de formali.

SECTIO II.

De temperamenti mixti.

ELEMENTA igitur secundum formas suas substantiales non manent in mixto: restat ergo vt maneat secundum qualitates refractas, quam vocaui continentiam virtualem; hoc enim est quod vulgò appellatur temperamentum; sic enim dicitur congrua illa dispositio, quam postulat substantialis forma mixti, vt conseruetur in materia. De hoc autem temperamento multa video disputari, tum à Philosophis, tum à Medicis, quæ parum habent difficultatis, idè breviter mihi, & strictim attingenda sunt.

Quæritur ergo primò, vtrum temperamentum sit qualitas aliqua simplex à quatuor primis distincta, & ex illis resultans; non enim apparet quomodo ex sola mixtione primarum qualitatum existere possint aded diuersæ proprietates & operationes mixtorum. Imò manente temperamento eodem mutantur in mixtis calor & frigus. Et sanè omnia in diuidua eiusdem speciei idem temperamentum exigunt, in quibus tamen admodum diuersæ sunt primæ qualitates.

Resp. temperamentum non esse aliquid distinctum à quatuor primis qualitatibus certo gradu temperatis, quamuis certum sit, quod in mixtis aliæ sunt plurimæ qualitates virtuales distinctæ à primis.

Ratio est, quia nihil tribui potest quintæ illi qualitati superadditæ, quod non possit commodissime tribui primis qualitatibus, quas etiam certum est manere realiter in mixto, quod alioqui non esset ab intrinseco corruptibile, cum tota ratio corruptibilitatis ab intrinseco sit pugna illa qualitatum. Sed multi tamen effectus apparent in mixtis, quos certum est non posse tribui primis qualitatibus; qualis est ferri tractio à magnetè, chyli formatio in ventriculo. Tanta verò illa diuersitas proprietatum mixti non oritur à solis qualitatibus, sed à forma substantiali. Manente temperamento eodem, nunquam in toto mixto notabiliter mutatur calor & frigus, quamquam mutantur in aliqua tantum parte: vnumquodque videlicet mixtum vt conseruetur & producat, certam aliquam exigit latitudinem dispositionum, quam non potest transgredi, quamuis intra illam possit se habere multipliciter: v.g. species leonis tantum exigit calorem, quo non debet habere maiorem; & tantum vt non possit habere minorem, quamuis intra hos gradus multipliciter se habeat. Potest ergo mutari temperamentum, sed intra certam latitudinem: homo v.g. non potest habere intensiorem quam vt sex, nec remissiorem, quam vt duo; potest tamen habere vt tria, vt quatuor, vt quinque.

Quæritur secundò, quibus modis diuidatur temperamentum.

Respondet

Respondeo multipliciter illud diuidi. Primò in *uniforme*, in quo qualitates omnes sunt in eodem gradu intensiōis; & *difforme*, in quo diuersum habent gradum. Secundò temperamentum difforme diuiditur in *simplex*, in quo vna tantum qualitas vincit, tres autem aliæ sunt æquales; & *compositum*, in quo duæ qualitates alias duas superant. Tertio temperamentum simplex diuiditur in quatuor membra; primum in quo solus vincit calor; secundum in quo solum vincit frigus, &c. Temperamentum item compositum in quatuor item membra diuiditur: primum in quo abundant calor & siccitas; secundum in quo abundat calor & humiditas, &c. Quarto temperamentum aliud est *innatum*, proxima videlicet dispositio ad formam, quæ prima complexio dicitur; aliud *influxum*, quod videlicet formam conseruat, & materiam reddit aptiorem ad eius operationes: in eo fiunt innumera mutationes per ætates varias hominum, in quibus quasi peracto circulo factus homo è terra, videtur in terram rursus redire. Denique aliud est temperamentum *æquale ad pondus* (quod descripsi nuper;) aliud *æquale ad institiū*, in quo qualitates eam habent proportionem, quæ perfectè congruit formæ mixti, & ipsius operationibus; licet illæ qualitates inter se non sint in gradu æquales. In animalibus certum est, nunquam dari temperamentum æquale ad pondus, quia debent esse partes viuientium heterogeneæ: æquale ad institiū datur in pluribus, & est probabile quod fuerit in Sacratissimis corporibus Christi Domini, & Matris eius Sanctissimæ.

A Quaritur tertio, quam sit optima temperies ad discendas litteras.

Resp. cum Aristotele *sect. 30. problematum*, temperiem optimam ad litteras addiscendas esse calidam & siccam, si quid melancholiæ accedat; quia videlicet, vt rectè obseruat Fracastorius *lib. 2. de intellectu*, ad exercendam perfectam intellectiōnem quatuor requiruntur. Primò organum amplum, & capax; si enim angustum sit, spiritus habet denfos & inquietos. Secundum vt pars illa vbi sit intellectio multum habeat calorem naturalem, non aduentitium; neque sit pinguis & oppleta, sed tenuis & bene purgata. Tertium est abundantia spirituum. Quartum applicatio potentie naturaliter prompta, & intenta, non distracta: quæ omnia conueniunt bili & melancholiæ; nam quibus abundat sanguis, grati quidem illi sunt & amabiles, & satis ingeniosi; sed faciliè distrahantur à voluptatibus, ad quas sunt propensi: sunt impatientes studij & laboris, cerebro subpingui ob humiditatem. Phlegmaticis friget & torpet cerebrum crassum & pingue. Calidi & siccī acce habent ingenium, sed ob celeres motus sunt impatientes contemplationum, viribus corporis faciliè resoluantur ob sanguinis subtilitatem. At verò quibus moderata inest melancholia, ij multum calorem, & spiritus multos habent, ideoque fortes sunt & constantes, nec faciliè resoluabiles propter densitatem sanguinis: organum amplum habent, quia calor dilatat, qui multus in ipsis est; cerebrum non pingue, sed purgatum; siccitas enim prohibet pinguedinem.

TRACTATUS QVARTVS.

De corpore mixto imperfecto, & perfecto inanimato. Ad quatuor libros Meteororum.



ORPORIS mixti generales affectiones hæcenus dixi cum Aristotele, in libris de ortu & interitu: nunc ad contemplandas singulas eius species, & ad vniuersam mundatæ domus perlustrandam supellectilem, idem manuducit Philosophus in libris meteororum. Arduum sanè, infinitumque negotium, tam multa consequi dicendo, colligere adeò dispersa, disquirere tam occulta, & diuinam in singulis demirari artem, quæ interdum in minimis maior est, licet in omnibus semper seipsa sit longè minor, & imbecillior.

Corpora videlicet mixta ex elementis quædam imperfecta sunt, quæ solis qualitatibus, non autem substantiis differunt ab elementis ex quibus fiunt; quædam perfecta, sed inanimata; quædam perfecta & animata, in quibus singulis nihil est paruum, præter noticiam mentis nostræ; & nihil omnino magnum ac mirabile, nisi diuinæ manus argutia, cui vni penitus dignoscendæ ac prædicandæ animus inuigilat ista indagantis. Quia verò Philosophus in suis libris, quos inscripsit de Meteoris, seu de iis quæ in alto apparent, nomine dato ab vna tantum principalis obiecti parte, non autem à subiecto toto, coniunxit mixta imperfecta, cum perfectis inanimatis, de vtrisque dicere aggrediar; sed de mixtis imperfectis latius ac plenius; de aliis parcius & breuius.

DISPVTA